

sacerdotes legem. In tantum sacerdotis officium est, interrogatum respondere de lege. Et in Deuteronomio legimus: Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, seniores tuos, et dicent tibi. In Psalmo quoque CXVIII: Cantabiles mihi erant justifications tuae in loco peregrinationis meae. Et in descriptione justi viri, cum eum David arbori vitae, quae est in paradyso, compararet, inter caeteras virtutes et in hoc tulit: in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Daniel in fine sacratissimae visionis, justos, ait, fulgere sicut stellas, et intelligentes, hoc est, doctos, quasi firmamentum. Vides, quantum inter se distent, justa rusticitas, et docta justitia? Alii stellis, alii coelo comparantur: quamquam, juxta hebraicam veritatem, utrumque de eruditis possit intelligi. Ita enim apud eos legimus: qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Cur dicitur Paulus Apostolus vas electio-  
nis? Nempe quia legis et sacrarum scripturarum armarium est. Pharisei stupent ad doctrinam Domini, et mirantur in Petro et Joanne, quomodo legem sciant, cum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio et quotidiana in lege meditatio tribuere solet, illis Spiritus sanctus, suggerebat. Et erant, juxta quod scriptum est, Θεοδόκητοι. Duodecim annos Salvator impleverat, et in templo senes de quaesti-  
onibus legis interrogans, magis docet, dum prudenter in-  
terrogat. Nisi forte rusticum Petrum, rusticum, dicimus, Jo-  
annem, quorum uterque dicere poterat: etsi imperitus ser-  
mone, non tamen scientia. Joannes rusticus, piscator, in-  
doctus? Et unde vox illa obsecro: In principio erat verbum  
et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum? Λόγος enim  
graece multa significat. Nam et verbum est et ratio, et  
supputatio, et causa uniuscujusque rei, per quam sunt sin-  
gula, quae subsistunt. Quae universa recte intelligimus in  
Christo. Hoc doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes elo-